



## **Patrocinium Defvntorvm**

**Hautin, Jacques**

**Leodii, M.DC.LXV.**

§. 1. Pii Manes igne cruciantur, eoque sulphureo, ac bituminoso.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

quasi fabulas aniles hæc legis, sine motu, sine commiserationis ullo affectu, profectò meritò tibi applicem illa Isaïæ supra piis manibus applicata. *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.* Rectè enim exprobrent tibi pii manes, impiæ Babylonis instar te esse, nec tamen illis non dilectum, cum amantissimi manes salutis tuæ immemores esse nequeant, nec cessent Deum pro suis comprecari. Rectè etiam

querantur positum te ipsis ac propositum in miraculum duri ac faxei pectoris, in prodigium inhumanitatis, in naturæ monstrum. Quod si ita est, etiam atque etiam cave. Minus enim verè quadrat tibi illud funestissimum Jacobi Epistolæ cap. 2. *Judicium sine misericordiâ illi, qui non facit misericordiam, iis saltem quos Deus mortalibus proposuit in prodigium miseræ, ac calamitatis.*

## CAPUT SEXTVM.

### De pœna sensus.

#### ARTICULUS I.

*An, & quomodo ab igne infligatur?*

§. I.

*Pii manes igne cruciantur, eoque sulphureo ac bituminoso.*

PARS TERTIA.

*Ignem cruciari ostenditur.*

264.  
Pœna sensus castigantur.



**P**XPOSITA damni pœnâ, proximè sequitur, ut de pœnâ, quam sensus vocant, differamus. Est igitur primùm pœna sensus, id genus pœnæ, dolorisve, quem vel pii, vel impii manes, aut dæmones ab instrumentis vindicis Justitiæ persentiunt, præter eam tristitiam, quæ vel ex privatione beatitudinis, vel ex custodia lustralis conditionibus potest exoriri. Porrò ejusmodi aliquam in purgantibus locis pœnam reperiri non modò Doctõrum, sed & totius Ecclesiæ consensu exploratum est. Et verò Justitiæ divinæ ratio id exigit, ut quos pravorum desideriorum vis à Numinis amore, obsequioque ad illicitas voluptates impulerit, ii contrariâ hujusmodi voluptatibus pœnâ, si quidem eas hac in vitâ minus eluerint, castigentur. Cui rationi consonat divinum illud effatum Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in delictis fuit, tantum date illi tormentum:* & hoc Isaïæ cap. 15. *secundùm magnitudinem operis est visitatio eorum;* Item illud cap. 3. *Va impio in*

*malum, retributio enim manuum eius fiet ei.*

Atqui tormentum illud ab igne creati inter Catholicos receptissimum est, certumque, ut ait, Suarez, licet citra fidem divinam. Etsi enim à Florentino Concilio decisum habemus extare aliquod Purgatorium: non tamen in eo constare ignem, quo animæ cruciantur, quia Græci, qui illi intererant, sibi hoc persuaderi non permisere. Nemo tamen sanus jam infitias eat, cum Latini omnes Patres ac Theologi, ipseque Cyrillus Græcus, aliique ejusdem gentis, id clarissimè, indubitanterque asserant. Ac Cyrillus quidem commentario in Joannem lib. 10. cap. 14. illud disertè affirmat. Nysenus quoque & ipse Græcus orat. de infantis animâ piè corpore egressâ. *Subibit, inquit, acta vita iudicium, accipiet pro merito retributionem, vel igni purgata, iuxta Evangelii verba, vel in rore benedictionis refrigerata, atque refocillata.* Basilii insuper in c. 9. Isaïæ, *Non omnimodam, ait internecionem, & exterminium comminatur; sed innuit expurgationem juxta Apostoli sententiam. Ipse autem salvus erit, quasi per ignem.* Denique idem docet Origenes Hom. 6. in exod. Nazianzenus oratione in Sancta lumina, & alii. Latinos autem Patres hæc laudare fere supervacaneum sit. Omnes enim in hoc consentiunt. Unicum Hilarium produco in Psal. 118. ubi purgatorium nuncupat *indefessum ignem, in ignem, in quo gravia sustinentur supplicia, quibus animæ à peccatis expiantur.* Sed his omnibus præluxerat Gentium Apostolus 1. Cor. 3. cujus hæc sunt toties recantata verba: *Ipse tamen salvus erit, sed quasi per ignem.* ubi illud quasi non sonat similitudinem ignis, sed modum sal-  
vationis

265.  
Eaq; ab igne profecta.

vationis. Cùm enim saluum fore dixit, eo, inquit, modo, quo quis per ignem saluus evadit, nempe ambustus, & ustulatus. Et verò sic cum Pauli locum exponunt plerique SS. Patrum, quibus Theologi universim subscribunt.

266.  
Vero ac  
corporeo.

Cùm ego satis perspectum sit pios manes igne torqueri, quærimus deinde, qualis ille sit, an scilicet materiâ constet, an ejus sit expers. Cui quæstioni respondetur, omninò materiâ constare, & verum ignem esse, ejusdemque cum hoc elementari essentia. Causa est quòd in sacris literis ignis nomine vocetur. Atqui Theologorum scitum est, proprio, non metaphorico sensu accipienda esse, quæ in iis dicuntur, nisi quid absurdè inde consequatur, quale nihil hîc reperias. Præterea satis inter Theologos receptum est, Iustalem ignem à tartareo nihil differre, nisi quòd ille temporarius sit, hic æternus. Patet autem hæc naturæ, nativarumque conditionum similitudo, partim ex receptaculo utriusque, vel continuitate, vel certè contiguitate, partim quòd discriminis nulla ratio obversetur. Atqui tartareus ignis, verus ac corporatus ignis est, ut satis patet tum ex plurimis Scripturæ locis, ubi simpliciter ignis nuncupatur, tum ex plurimis ac gravissimis Patribus, qui talem illum existimant, tum ex eo quòd damnatorum corpora post judicii supremi diem igne vero torquenda sunt, atque adeò & animæ, & nefarii illi spiritus. Tum denique quòd damnatis olim dicendum sit, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*; unde colligitur ignem, & hominibus, & dæmonibus fore communem, atque adeò cremandis corporibus aptum & elementarem. Ex quo insuper sequitur ejusdem essentia, seu, ut vocant, speciem esse cum nostrate, & quidem atomæ, seu infimæ, propterea quòd nulla adstruendæ differentia necessitas se objiciat.

267.  
Licet nul-  
lo pabulo  
egeat.

Nec enim refert, quòd nec tartareus, nec purgatorius pabulo ullo nutriatur. Reponit enim Suarius id inde evenire, quòd à nullo circumstante, aut vicino corpore, etiam secundum partes extinguì possit. Enimverò eo loco situm esse, ubi nullum contrarium sit, à quo corrumpatur; atque ut esset aliquod, tamen ob copiam suam, vimque agendi ingentem, nihil foris pati posse, ac propterea incorruptibilem dici: non quidem naturâ suâ ac per sese, sed tamen absque miraculo, atque eo nomine in sacris codicibus rectè appellari, *inextinguibilem*. Quæ sapientissimi viri oratio, ex eo confirmatur, quòd de philoso-

phorum sententiâ ignis in propriâ spherâ passu non egeat, quod & illic ab adversariis tutior sit, atque ut aer humiditate eum oppugnet, tamen amplitudine suâ se tucatur. Itaque licet tartareus ac purgatorius ignis, terræ circa centrum jacentis, atque adeò purissimæ ac frigidissimæ actionem patiatur, tandem ejus facile vim retundit, vincitque, quippe viribus à medio igne semper instauratis, præsertim cùm uterque materiæ pingui ac densæ adhærescat, densitas autem illa ad vim illius & actionem plurimum conferat. Cæterum etsi faceret quis utrumque fomento opus habere, non idèò extingui aut interire deberet; nam & sulphur & bitumen, apta subterraneis ignibus esca, eâ quoque telluris parte reconditum fortè est, & paulatim fortassis uterque locus dilatatur, ut in unum coiens corporibus damnatorum post mundi exitum recipiendis sit accommodatus. Certè mons ille tot Poëtarum Historicorumque scriptis celebratus, ac Siciliae horror, Ætna, non deficiente tot seculorum spatiis materiâ, cum ingenti fragore fumum, favillas, ignium globos adhuc latè spargit, adeò ut quinquagena ac centena passuum millia cineribus, sive adustis arenis compleat. Adeò defectus pabuli igni inferno timendus non foret, si esset necessarius. Denique si voles cum per miraculum à Deo conservari sine pabulo, quod non est improbabile, ut poena ignis, quippe damnatorum quodammodo essentialis, in eodem statu & acrimonia inviolabiliter, omni tartari parte permaneat, nihil inde conficies pro naturæ illius ab elementari distinctione.

Nihil quoque pro ea pugnat, quod 268.  
purgatorius ac tartareus ignis minimè à *Nec, videz-*  
mortalibus sentiat, vel ex dæmonum *tur, aut*  
orbe grassantium præsentia, vel ex visis *sentiat.*  
piorum manium. Et huic enim argumento non difficulter occurritur. Ac Malomus quidem, qui censet dæmones (& eadem est ratio purgandarum animarum) etiam in aere & in terris ignem stygium secum deferre, eique esse velut inclusos, miracula magno numero invehere cogitur, primum quòd ignis ille in oculos non incurrat, utcumque obvius & vicinus. Deinde quòd in sensum tactus non cadat; imò non aliud, quàm dæmones calefaciat, exurâtve. Ad hæc quòd simul cum illis corpora solida penetret. Ægidius verò arbitratur, neque repugnat Arriaga, torqueri quidem eos extra orcum: at non ab igne, sed à Deo ignis actionem supplente. Optimè Suarius tractatu de pœnis dæmonum cap. 6. existimat illos ab ipsomet igne stygio, ubi  
L. 2. ubi sunt,

ubi sunt, cruciari. Quippe quòd ejus actio in distans divinà virtute ferri possit: sic ut medium non afficiat: cum ut probabiliissimè disputant Philosophi, et si propinquitas agentis & patientis naturæ lege ad agendum requiratur (adeò ut actio, vel agentis virtus per medium diffundi debeat) eà tamen lege supremus ille artifex, ejusque vim mutuatus ignis, minimè obstringatur. Quo etiam pacto Sacrosancta Christi humanitas divinà virtute fulta, miracula in remotos perpetrabat.

269. *Quamvis quandoque urat, & apparet.* Unum est quòd huic responsioni in speciem adverteatur. Constat enim ex variis defunctorum ostentis modò damnatos igne circumcinctos apparuisse, modò manes cœli candidatos pariter in igne, obvertantes petisse viventium preces ad flammaram extinctionem, aut mitigationem. Dominicanus quidam cum Minoritâ pactum inierat, ut qui eorum prior moreretur superstiti appareret, eumque de suo statu certiorer faceret. Moritur Minorita & post dies aliquot apparet stipulatori, mensas sternenti, & ait expiatorium se circumgestare ignem, ad cruciatus sui indicium, manum mensæ lignæ crassæ impressit, eamque altè admodum combussit. Et testatur Deltrius noster lib. 2. qq. magicarum cap. 26. sectione 7. audivisse se ab oculatis testibus notam hanc mensæ inustam ad perpetuam rei memoriam parvulo clatro ferreo obtectam esse. Cui simile est, quod P. Martinus L'hermitte è Soc. Jesu audiente me narravit à se visam esse Neapoli in quodam Cœnobio similem, at functiorem notam ignis tartarei mensæ quoque inustam, manu cujusdam Antesignani catervæ Doctorum, Priorum, aliorumque, quos arrogantia, aliaque flagitia in orcum deturbaverant. Vide Historiam ad longum, in Ioan. Rec-hac Vitæ SS. Dom. I. 3. c. 29.

270. *Solutio difficultatis.* Hæc igitur, & ejusmodi quomodo fiunt, si manes pii, vel impii, quando viventibus adsunt, aut demones, quando eos infestant, verum inferorum ignem secum non circumferunt. Cui quæstioni, ut satisfactionem, aio primùm, ut eum circumferre secum dicantur, lat esse, si, quod ait Glossa ordinaria, sicut gehenna semper ardet, ita diabolus, ubicumque sit, semper fert tormenta flammaram suarum, quod ut diximus, sit virtute ignis in tartaro manentis, atque in remotos æquè ac propinquos levientis. Quod verò ad flammam illas apparentes, aut ad combustionem attinet, aio totum id eidem igni, in distantia virtutem suam divinitus exerenti, ascribi posse. Nec dicas ignem hujusmodi apparentem, quòd

proxima non comburat, non videri tam acrem ac violentum, quàm censeretur ignis infernus ac lustralis. Ut enim instrumentum justitiæ divinæ est ad dæmones, & manes inæquali cruciari afficiendos, sic in eventis, ostentisque ejusmodi, ejus vis divinitus temperari dicenda est.

PARS SECUNDA.

*Qualis sit ignis purgatorius.*

271. *Est autem materia sulphurea.* **H**IS itaque expeditis, quæro cujus materię sit ignis, seu lustralis, seu Avernalis? Suarius certè sic ea de re loquitur. tract. de Ang. 8. cap. 12. *Probabilius videtur non esse purum elementum, sed longè maiorem habere densitatem aptam ad fortius agendum naturaliter in corpora; Idèd credibile est ex aliquâ crassiori materia, ut sulphurea, vel aliâ nobis ignota consistere, in cuius poris sit verus ignis, & ipsa materia tota vehementer ignita sit: & ita quoad hoc, ignem alterius esse materia satis verisimile est.* Sic ille. Lessius, & alii non dubitanter, ut Suarius, sed affirmatè diserteque tradunt, infernum ignem esse sulphureum. Quos facer Codex non paucis locis confirmat. Nam præter ceteros Regius Psaltes Psal. 10. de improbis agens, *Ignis, ait, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Et Isaïas c. 30. *Flatus Domini, inquit, sicut torrens sulphuris succendens eam.* Joannes quoque Apoc. 20. *Qui non inventus est, ait, in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis, nempe sulphurei: ut patet ex eodem ipso cap. 21. ubi dicit, Pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure.* neque ratio huic sententiæ parum favet. Nam sulphur ignium subterraneorum commune pabulum est, stygio autem perquam accommodatum. Nam quia calore & siccitate pollet, magnam cum igne affinitatem habet, ejusque vim exasperare potest. Deinde halitum adeò fœtidum exspirat, ut, nisi cœlum apertum sit, fosfores illicò interimat. Adhæc sulphureæ flammæ color ad horrendas inferni tenebras plurimùm conferet: est enim pallidus & tristissimus. Ita narrat Plinius lib. 35. cap. 15. ejus artificio luisse in quodam convivio Anaxilaum. Nam sulphur in calice novo prunâ subditâ circumferens, exardescens percussu pallorem dirum velut mortuorum, convivis affudit.

272. *Et bituminosa.* Porro sulphuri bitumen adungere libet. Est enim ut Meteorologi docent, alterum ac præcipuum ignis subterranei fomentum. Etenim succus admodum pinguis

pinguis est & calidus, naturæ ignium admodum cognatus: ac pinguedine quidem uberiorem, quam sulphur, fomitem eis præbet, ac diutius permanet, eoque est ingenio, ut in aquis ardeat, ideoque artificiosis ignibus ad naves comburendas factis adhibetur.

§ 2.

*Qua ratione ignis cruciet Defunctos.*

273.  
*Questionis  
difficultas.*

**H**Æc est implicatissima quæstio, quæ Theologos hætenus exercuit, & porro exercebit, quando nihil hætenus prima ingenia invenère, quod vel mediocria impugnare, atque fere infringere non valeant. Propterea magnum illud nomen Bellarminus l. 2. de Purgatorio cap. 12. hac ipsâ quæstione sibi propositâ, *Verrissima*, inquit, *sententia est non posse in hac vitâ sciri quomodo ignis corporeus ægat in animam incorpoream. Id enim ingenuè confitetur Durandus, Augustinus* lib. 21. de Civitate Dei cap. 10. *ubi dicit animas torqueri ab igne miris, sed veris modis: & B. Gregorius cum* lib. 4. Dialog. cap. 29. *dicit ex igne visibili invisibilem pœnam animas trahere, vocat enim invisibilem pœnam, quia occulta, & incognita est nobis.* Ita Bellarminus. Idem confitetur ex neotericis, Præpositus, propositis ac breviter refutatis cæterorum sententiis; & novissimè Dicastillo de Purgat. disp. 1. Dub. 3. *Vixulla est, ait, sententia, quæ aliquo utatur argumento, non dicam efficaci, sed nec probabili positivo, totienim sunt Authores in destruendis aliorum sententiis.* Verumtamen instituti mei esse visum est eam sententiam exponere, quæ mihi, salvo meliore iudicio, inter omnes maximè ad Scripturæ sacræ, sanctorumque Patrum pronuntiata, accedere videtur.

274.  
*Defuncti  
ignibus al-  
ligantur.*

Statuendum est itaque principio id in quo omnes Theologi consentiunt, cum dæmones ac damnatos, tum pios manes ignibus alligari, ex eoque vinculo non mediocrem haurire mœstítiam. Et vinculum quidem, seu alligatio ex sacris litteris abundè demonstratur. Nam Petrus de dæmonibus agens Epist. 2. cap. 2. sic loquitur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* ubi Græcè habetur *catenis caliginis*, loco, *rudentibus*; quasi diceret Apostolorum Princeps, catenis & fortissimis funibus igni & tartaro adstrictos, ut nullâ vi ea dissolvere possint. ubi tartarum ipsum veluti lictio-

rem facit, perduelles Angelos statim à peccato detrahentem, sibi que & ignibus suis constringentem. Quare Augustinus lib. 21. de Civitate Dei cap. 10. *Adhærebunt, ait, spiritus, dæmones, licet incorporei, corporalibus ignibus cruciandi, accipientes ex ignibus pœnam.*

Ambigitur autem, quod genus illud 275. *Vinculo,* *moralis.* *vinculi sit, an scilicet ignis actione physica spiritus sibi devinciat, quod censet Suarius, an verò solo Numinis imperio, & ipsi & animæ adhæreant igni, quod Valentia arbitratur. Mihi, ut expeditior veriorque, Valentia opinio probatur: quippe quia, & miraculo abstinet, quod frustra Suarius invehit, & Christus solo imperio id perfici insinuat, quando sententiam decretoriam in impios pronuntiat. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Porro alligationem illam piis manibus molestissimam esse patet ex iis, quæ supra de eorum ad lustralem carcerem alligatione differuimus. Hac enim ad ignem alligatio eò tristior & probrosior, quàm altera illa est, quod pœna capitalis, carcere turpior ac dedecorosior est, ac potissimum, supplicium ignis, quod fagarum & ejusmodi facis orbis terrarum proprium est. Quæ res animas, nobilissimas utique Christi Sponsas, non potest non vehementer afflictere. Sed de hoc ipso postea latius.*

Verumtamen non eo genere cruciatûs 276. *Non tamen* *ideorantem* *cruciantur.* *contenta est Justitia divina. Enimverò clamat in impios Psal. 10. Regius Psaltes. *Pluet super eos laqueos, ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum, seu supplicii.* Clamat & Isaias cap. 36. ubi de inferno: *Flatus Domini, ait, sicut torrens sulphuris succendens eam.* Insuper Matthæus cap. 3. *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Præterea fatetur verum ab igne cruciatum ille dives epulo, non enim genuit igni sese alligari: sed *cruciari in hac flammâ*, propterea, non ut solvatur, sed ut refrigeretur, postulat. Consonant Apostoli Evangelii. Nam Paulus 2. Thessal. 1. *In flammâ, inquit, ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum.* Et Joannes Apoc. 14. *cruciabitur, ait, igne, & sulphure.* Porro Sanctos Patres, supervacaneum videtur laudare. Dum enim locum illum Apostoli 1. Cor. 3. *salvus erit quasi per ignem* interpretantur, vim ignis in animas lustrandas exeri confirmant. Quos inter Ambrosius, *Ostendit, inquit, salvum quidem futurum, sed pœnam ignis passurum.* Aliàs dum avernalem ignem commemorant, *comburare, succendere, cremare*, utique de solâ detentione nequaquam intelli-*